

in quo vir bonus discitur, paucissimi sedent: et hi plerisque videntur nihil boni negotii habere, quod agant; inepti et inertes vocantur. Mihi contingat iste derisus. Aequo animo audienda sunt imperitorum convicia; et ad honesta vadenti contemnendus est iste contemptus.

Cur nescire, pudens prave, quam discere malo?

Turpe est, quempiam multos annos continenter laborare atque exerceri, ut vel bonus Grammaticus, vel Rhetor, vel Geometra, vel Medicus fiat: ut autem vir bonus evadat, nunquam quidquam laboris in tanto temporis spatio insumere.

3. M. Aurelius, Imperator, in sapientiae studia incumbebat apud Sextum philosophum, ad ejus aedes propterea ventitans. E regia aliquando egredientem rogavit Lucius philosophus, qui modo Romam advenerat, quo pergeret, et ad quod negotium? Tum Marcus: *Seni etiam, inquit, discere, decorum est. Itaque ad Sextum philosophum eo, ut sciam, quae nondum scio.* Lucius, manibus in caelum sublatis, exclamavit: o Jupiter! Romanorum Imperator jam senescens, tabellis e zona suspensis, ad ludimagistrum pergit, puerorum instar!

CAPUT XIV.

HONOS DOCTIS HABITUS.

1. Platoni, sapientiae antistiti, Dionysius tyrannus, alias saevitiae superbiaeque natus, vittis ornatam navem misit obviam: ipse quadrigis albis egredientem in littore excepit. —

Consule aedes ingressuro, earum fores virga a lictore percutiebantur, monendi causa, adesse consulem: nisi aedes essent ejus hominis, cui habendus ab ipso magistratu honos videretur. — Itaque Cn. Pompejus, confecto